LVX

UMBRÆ NESCIA

Quia

Sole speciosior Sapientia ... *Sapi.* 7.

In Igneo Literarum Zelote

IGNATIO

SINARVM PROREGE

á Livore alienos adumbrante Splendores, Lethalibus umbris

EXTINCTA.

Nunc vero

Luce Feriæ Igni a DEO illato sacræ succedaneâ ab Illustrissima, Perillustri Prænobili ac Magnifica Juventute Apollinea Collegij Varsaviensis Societatis JESU Sub Occasum anni Scholastici Inter Theatrales umbras

REACCENSA

Anno quo

è VastIs fULsIt MUnDo sapIentIa CæLIs.

ARGUMENTUM

PAlladiæ æquê ac militaris disciplinæ prototypon Ignatius Sinarum Prorex, utpote in sago Dux Exercituũ, in Toga Laureâ Licentiati èmerito decorus, deficientibus ad Tartaros Sinici Imperij Præfectis, Imperatori Suo Xuchinio, fidem iuratam servavit constantissimé, multis cladibus Tartaros afficiens. Invidiâ tandem Literatam & militarem non ferente virtutem, Proceribus (qui magis Tartaris quàm suo favebant Imperatori) urgentibus, innocens necatur. Sed vindicem Tyrannus Superûm sensit manum, á Tartaris enim undiq; circumventus, ubi hostiles manus effugere non potuit, ipse sibi violentam necem intulit. Martinus Martinius de Bello Tartarico.

PRO

PROLOGUS

DE *Cleanthis lucerna, Flaminis Dialis succensa igne (a) libris impallescens*, lumenq; inextingvibile sibi accendens sapientiæ *Sap*: 7. *Genius Ignatij, igneas succrescere mediis e flammis* Musas .arbores (*b*) *coronatumq; inter eas suum nomen, atq; depuro efformatum igne advertit, unde á Luce umbræ nescia, Sapientia, illustrium sibi honorum accendi apricum auguratur.*

INTERLUDIUM
ACTUS PRIMUS.

SCENA I. Ignatius molestis aulæ muniis á literis se impediri advertens, privatam acturus vitam in saltum secedit in quo piis vacantem voluminibus, virtute æqvè ac prophetico Clarum spiritu offendit Eremicolam, cum eoq; de literis colloquia captans, ilud oraculi locò sacrum ab eo excipit dogma: *Sapiens in populo hereditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum Eccl:* 37.

SCENA II. Divino hoc a sacro Aruspice ad literarum amorem accensus oraculo Ignatius, è saltibus, libris vacaturus, in domesticum se confert conclave: sed arrepti primi codicis hæc legit prologomena: *hic iubar accendet, livor comes inseret astris*, cuius ænigmatici metri, planiorem in altero volumine indagans sensum in illud Peligni Vatis incidit distychon:

> *Vive tibi, quantumq; potes, prælustria vita*
> *Sævum prælustri fulmen ab arce venit* .... *Ovid: l. 3. trist:* **Eleg 4**

binis ergo sensuum enodandis ubi insudat difficultatibus a Maganto ad thronú accitur.

SCENA III. Imperator convocatis Proceribus, de repellendo è finibus Imperij hoste consilia expetit, deinde Vertumnum Aulæ Præfectum ad Tartaros expedit fecialem: Ignatium veró reluctantem licet & invitum propter servandum Sinicum morem (c) universo præficit exercitui, oblatâ ei Ducali Clavâ sequenti inscriptâ lemmate; *veniet quæ misceat omnes hora Duces.* Claud: quod interpretatus Cæsar de hostium antesignanis, eum quantocyus ad castra relegat,

SCENA IV. Livinus ægre ferens se posthabitum Ignatio, à Vertumno in castra hostium proficiscente, consilia amovendi ab Officio Ignatij expetit; is ut pote literatorum hostis, Cæsari ac eius Ephestionibus infensissimus, pridem etiam Ducalis Clavæ appetens, operam ei Suam pollicetur, quidve astucus sit, ænigmaticâ scheda eum instruendum brevi appromittit.

CHORUS

MInerva inter Martios etiam ignes, Palladias minimè marcescere deprædicat laureas occinente etenim Famâ, (*d*) *Adrianos, Tiberios. Severos, Antonios, Iulios, qui in medio etiam bellorum furore á studio literarum non cessarunt, Sinensem Herculem Ignatium scientiarum Dea adnumerat illorum Syllabo, atq; per Parnassias laureas, & Martias Laurus, Genium Ignatij ad Imperatorium deducit solium: illucq; Sarmatici Vatis iterat oraculum:*

> Se speciosius
> Plerumq doctæ Palladis artibus
> Indulget, & Musis amicam
> Gaudet honor redimire frontem. Sarb: l. 4. ode 2.

INTER

(*a*) *Ignis Flaminis Dialis solis olim sacratus Diis symbolicus Sapientiæ* Caus: Emb: l. 6.
(*b*) *Arbor Musa sapidissimos fructus pariens scientia symbolica est* Cau: Emb. l. 10.
(*c*) *Sinarum mos, solos scientia praditos, summis admovere honoribus* Osorio. l 11.
(*d*) *Suet.* l. 5.

INTERLUDIUM.
ACTUS SECUNDUS.

SCENA I. Ignatius plurima Tartarorum edita ſtrage multis ad Imperatorem redit cum ſpoliis, Cæſar heroicis eius delectatus facinoribus, Triumphali curru, plexa coronatum Lauru, & Oleâ dextræ insertâ (a) per compita eum deducere iubet, insuper, Vice Regiâ redimitum coronâ atq; in suo collocatum solio, Epheborum recreat saltu.

SCENA II. Poſt peractam ſolennem triumphi pompam ubi militare etiam Claſsicum Cæſar in Applausum Neo Principis insonare iubet, poſt clangorem buccinæ, hæc vox auditur: *Poſt tubas tumba*; quo ferali Xuchinium perterritum ſono, Ignatius ſolatur atq; de futura Tartarorum clade poſt editum à ſe belli claſsicum, eum interpretatur.

SCENA III. Imperator hac enodatione ænigmatici ſenſûs contentus, ad caſtra iterum Ignatium relegat contraq; adversa hoſtium tela, Alectoriâ annulari gemmâ (b) eum munit, quam Ignatius Ephebo aſſervandam tradit.

SCENA IV. Ignatius pergens ad caſtra, nil ſuspicatus doli, Livinũ ſibi comitem adſciscit, ſed obvium habens Ephebum Vertumni ſuspecti iam Fecialis eundem examinat, atq; literas minis extorquet, quas ænigmatico conſcriptas Charactere ubi brevi temporis ſpatio intelligere non poteſt, deferendas Cæsari Livino tradit, Ephebumq ei ſuum in comitem adiungit accepto ſecum Literarum latore.

SCENA V. Livinus conscius doli, Ephebum munere corrumpit, atq gemmam ab eo quam aſſervandam acceperat, repetit, incluſamq literis ab Ignatio ad Tartaros confictis, Vertumno deferendam eidem tradit. Ænigmaticam verò ſchedam utpote anonymam (in qua cædes Imperatoris ſvadetur) nomine hoſtium Anteſignani ſubſcribit, titulo Ignatii præfigit nomen, in eiusq portatili bibliotheca eam aſſervat.

CHORUS

Fortunæ ſapientia Victrix. Iuven: *sat. 13. mobilem inconſtantis Deæ rotam, triumphali Ignatij affigit obelisco ne fortuitis rotetur caſibus; sed à ſuperveniente invidiâ exagitatur, atq Livoris ſuccensa igne in tenues ſolvitur auras, ſuſpiciente id Ignatij Genio illudq triſte ſibi Occinente Epinicion:* O dirum exitium mortalibus, o nihil unquam crescere, nec magnas patiens exſurgere laudes Invidia. Silio l. 16.

INTERLUDIUM.
ACTUS TERTIUS

SCENA I. Vertumnus ablegatus ad hoſtium caſtra, pro ſtabilienda pace, infectis rebus ad Imperatorem redit, causamq irriti conatus occultos Ignatii aſſerit dolos, annularem gemmam & literas ab eo ad Tartaros directas monſtrat. Livinus verò ut pote artifex huius doli, eandem probaturus perduellionem, capitalem hoſtem Ignatium Imperatori aſſerit, eiusq scientiam fatalem Imperio voluminibus eius refertis proditoriis paginis probat.

SCENA II. Imperator agnitâ ſuâ gemmâ & repertis in codice proditoriis *Literis*, Ignatium acciri iubet, atq attentatos in caput ſuum dolos documentis probat, ſuos ei favores exprobrat, perniciosamq; Imperio, eius deteſtatur Sapientiam. Negantem verò Ignatium ſe quidquam in perniciem Cæsaris, vel Imperii machinari, Imperator proprio confodit chalybe, qui animam agens, tam illud ſacri Auguris, *Sapiens in populo &c* Superſtitis non niſi poſt fata Sui nominis Famæ, quàm etiam lectum in codice. *Hic iubar accendet &c &: Vive tibi &c.* ſensum præsagum ſuæ ob ſcientiam ſublimationis bellicæ Fortunæ, ac demum mortis fuiſſe, quam per invidiam & fraudem oppetiit.

(a) *Apud veteres Victorum capita Lauro, manus oleâ coronabantur* Alex. ab Alex: 1. l. 6.
(b) *Alectoria gemma nullis pervium telis, atq invictum ſui reddit portitorem* Plin. l. 37 Iſid. l. 16.

SCENA III. Sublato è vivis Ignatio Exercitûs Præfecturam Cæsar Livino confert, atq; ad Castra properare jubet. Vertumnus delusus Spe Ducalis Clavæ, dolos aperit, innocentem Ignatii cædem adducto Literarum Latore demonstrat, atq; Architectum fraudis Livinum affirmat, ipseq; complex tanti sceleris veniam petit. Cæsar compertà fraude, ratus candidum esse Vertumni pectus, ob spontaneam reatûs confessionem, illum ad castra relegat, atq; Livinum gravi jubet tollere nece.

SCENA IV Deplorante feralem Ignatii casum Imperatore, Nuntius unus de perduellione Vertumni, ac Exercitus, alter de imminentè arci hoste advenit, quare Cæsar reliquos Proceres ad armá convocat, sed hi etiam á Tartaris corrupti aufugiunt, hinc ferali hostilis tubæ perterritus Classico, metuens ne in hostium deveniat manus, ipse sibi districto Chalybe vitam adimit, atq; ultimum exhalans spiritum, illam arcanam vocem: *Post tubas tumba* præsag: m sui infelicis exitus agnoscit; lemma veró inscriptum Clavæ; *Veniet quæ misceat omnes &c* de Occisis Ignatio & Livino Ducibus interpretatur.

EPILOGUS

Sapientia inter fatales etiã Taxos, triumphales colligens Laurus, illis Calabri Vatis Scholasticam Juventutem ad diligentiam allicit metris: Ad summum sapiens uno minor est Iove, dives, liber, honoratus, pulcher Rex deniq; Regum. Horati9. *Deinde Victricis Palladia in arena Laureæ recenset Candidatos.*

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. H. Sancti Patris IGNATII Literarum Instauratoris Cultum ac Venerationem